

S E B A S T I A N U S C A S T A.
lio, Mauro Musæo, Francisci Galliæ regis
apud Heluetios legato
S. D.



O S E S ille diuinus Hebræorum
egislator, rationem nobis, Maure
Musæe, tradidit, qua ueros uates &
alsi: s dijudicare possimus. Si quis e-
nim apud uos, inquit, aut uates extiterit, aut som-
niator, qui uobis signum aliquod aut prodigium
edat, idq; signū aut prodigium uobis ab illo pre-
dictum euenerit: & tamen idem uos cohortetur
ad deos alienos uobisq; ignotos, sequendos, colen-
dosq; nolitote illius aut uatis orationi, aut som-
niatoris obtemperare somnio. Tentat enim uos
Ioua Deus uester, ut discat an se toto pectore, to-
toq; animo ametis. Ex his Mōsis uerbis perspicuū
fit, eum qui & futura prædicat, & Deum colere,
atq; à falorum deorum cultu abhorrere doceat,
uerum, afflatumq; diuinitus esse uatem. Quòd si
ea est Sibylla (cuius hæc nos oracula tractamus)
ut & cùm de cæteris omnibus ferè rebus, tum de
Christo (ad quem oracula omnia referri debent)
ea prædixerit, quæ mirabiliter ad rē cecidere: &
eadem Deum unū colere docuerit: dubitari pro-
fectò nō potest, quin ea uerè uates sit. Sed sunt
nōnulli, quibus hæc oracula nimis aperta uidean-
tur:

tur: ideoq; ficta putent ab aliquo Christiano, ad
pelliciēdos gentiles ad Christum, & ad Christianis
gratificandum. Alij, qui quamuis uera esse fa-
teantur, negent tamen his egere Christianos, satis
ad Christi cognitionem scriptis Hebræorum mu-
nitos. Contra quos mibi dicendum existimo. I-
gitur qui nimis aperta putant, faciunt arroganter
sanè, qui Deo uaticinandi modum præscribam:
quasi non ei liberum sit, apertè, obscurè, apud gē-
tes, apud Iudæos, futura suo arbitratu prædicere:
aut quasi non extem in sacris quoq; literis prædi-
ciones quædam clariſimæ: ut illius qui dicit fo-
re quendam de stirpe Dauidis, nomine Iosiam,
qui sit ad aram Bethelensem sacerdotes ipsos im-
molaturus: ut Eſaiæ, qui Cyrum multis antè annis
nominauit, quām natus est Cyrus: ut Danielis, qui
mundi imperia ſic descriptis, ut ex re gesta oracu-
lum ſum pſiſſe uideri poſſit: & cætera huiusmodi,
quæ ſunt plurima. Sed fateamur sanè, Sibyllina
oracula eſſe clariora. Nō ne quæ de Christo gētili-
bus prædicta ſunt, ea clariora eſſe oportuit, quòd
Mose, & cætera disciplina carebant, quæ eis ad
Christi lumen quaſi præluceret: ut quod hic dee-
rat, id oraculorum perspicuitate compensaretur?
Accedit eò, quòd (quemadmodū patet ex Eſai) uo-
luit Deus Iudæis obscuriorem eſſe Christi aduen-
tum, ut in eū ſæuirent, atq; ita ſuę pertinacię pœ-
nas da-

nas darent, quod idem de gentilibus dicere non li-
cet. Quinquam non debemus hæc oracula ex ea
quæ nūc est, luce existimare. Nam quæ nobis post
res gestas notissima sunt, ea cum futura prædice-
rentur, erant obscurissima. Maria, Gabriel, Beth-
lehem, cum nominantur, omnes quid sit intelligunt.
At cum hæc tot antè seculis in Græcia à Sibylla di-
cerentur, quis posset coniucere, quid ea sibi uellent?
Adde quòd Deus, qui fuit horum tam clarorum
autor oraculorum, idem uoluit etiam ea multis la-
tère seculis, nec in uulgi uenire manus, sed à pau-
cißimis legi: quod perinde fuit, ac si essent obscu-
rissima. Quinquam hæc perspicuitas eò ualeat, ut
uera esse, nō falsa, appareat. Nam si quis ea finxis-
set, profectò obscuriora de industria fecisset: ut an-
te rem gestam scripta, & his similia uiderentur,
quæ sunt in literis sacris. Quod si hæc ficta sunt,
quando tandem ficta sunt? Ante Christi tempora?
an post? Si antè, uera sunt oracula. Post ficta esse
qui possunt? cum multis autorum testimonij con-
stet, ea Romæ asseruata esse usq; à Tarquinij Pri-
isci temporibus? semper que Romanos magnis in
rebus solitos adire libros Sibyllinos? At dicet ali-
quis, in eis oracula fuisse de Romanis: sed de Chri-
sto non item. O tergiuersationem. Cur minus enim
de Christo, quam de Romanis? cuius imperium &
maius est, & in florentissima Romanorum tempo-

ra in-

Epistola.

13

ra incidit. Quid si ualidis testimonij planum fa-
cio, illic oracula fuisse de Christo? Est apud Cice-
ronem in secundo de Diuinatione libro, disputa-
tio de carmine Sibyllino, in qua mentio fit de rege
appellando, & de illa Acrostichide: quem locum
in Annotationibus paulo copiosius explicaturi
sumus. Atqui extat Acrostichis, in qua est, IE-
SVS CHRISTVS DEI FILIVS SER-
VATOR, qui in eadem rex appellatur: de qua
loqui mibi uidetur Cicero. Quid de Virgilio di-
cam: qui Eclogam quartā sumpsit ex carmine Cu-
meæ Sibylle (testatur enim se ea dicere de ultimæ
Cumæi carminis ætate) quæ Sibylla fuisse uide-
tur eadem quæ & Erythræa & Persica dicta est,
quemadmodum sumus in Annotationibus ostен-
suri: cuius sunt ea quæ hic in manibus habemus o-
racula. Atqui in ea Ecloga, ea dicuntur, quæ non
nisi de Christo dici possunt. An uidelicet ea dice-
bat Virgilius, de nescio quo Pollionis filio, quæ ne
de Cæsare quidem (quantumuis assentando) di-
cere auderet? præsertim cum Pollionis filium nus-
quam nominet? neque felicitatem illam Pollio
patre uenturam dicat, sed consule? Sed esto sane,
dixerit illa de Pollionis filio: nesciebat enim de quo
scripta essent. At Sibylla de Christo dixerat,
quemadmodum nunc editis his oraculis patet, in
quibus uidere licet (si quis diligenter legat) quid:

ex quoq;

ex quoq; loco sumpserit Virgilius. Ex quo perspi-
cuum fit, ante Christi ætatem fuisse Romæ de i-
psò oracula. Quæ cum ita sint, non video quod nā
super sit istis effugiū, nisi si hoc dicent: fuisse qui-
dem Romæ uera de Christo oracula Sibyllæ, sed
ea intercidisse: hæc autem, quæ modò prodie-
runt, esse suppositicia. Vtrum tandem facilius fuit,
fingere quæ non extarent? an inuenire quæ exta-
rent? Aut si hæc subditicia sunt, cur non idem de
sacris omnibus profanisq; literis dicitur? an est ea-
nim in illis omnibus quicquam magis sui autoris
proprium, quam hic omnia Sibyllæ congruum?
At serius prodierunt Sibyllæ. Credo: & quidem
quotidie ueteres publicantur libri, quos non ideo
fictos dicimus, quòd diutius latuerunt. Adeōne ue-
rò facile est, tale quid ita fingere, ut nusquam ap-
pareat fucus? Age, interciderunt multi tum Gre-
corum, tum Latinorum autorum libri. Fingant
omnes docti aliquem illorum, si possunt, & au-
tores mentiantur antiquos. Scribāt Menandrico
mœdias, aut Ciceronis de Republica libros, aut
aliquid tale, quod pro uetere emittant. Dicam
amplius: Conuertit in Latinum sermonem Cicero
duas orationes Græcas, Aeschini & Demosthe-
nis: quæ uersio interiit, Græcis adhuc extatibus.
Conuertant eas iterum, si possunt, ita, ut ipsius
Ciceronis interpretatio esse uideatur. Quòd si nō
modò

Epistola.

15

modo hoc, sed nec locos in Ciceronis operibus
deprauatos probabiliter emendare, aut supplere
possunt, cum tamen tot homines docti tam diu in
eam rē summis studijs elaborent: quid fieri posse
censemus in oraculis Sibyllæ? in quib. etiā intelli-
gendi multū sudandum nobis est? quorum eam a
iestas orationis, atq; ornatus est, ut etiam si res in
promptu foret, tamē uix inueniri posset, qui ora-
tionem tam feliciter cōponeret: rursum tanta re-
rum diuersitas, copia, in nōnullis etiam obscuris-
tas est, ut si nullas eloquendi labor sit, nemo tamē
tam multa discere, & ea sic effari possit, ut nō ap-
pareat facile mendaciū. Oportet enim eū qui hoc
præstaturus sit, omnia didicisse, omnesq; autores,
qui de Sibyllis aliquid dixerunt, diligenter euol-
uisse, ut probabiliter mēiri possit: adeò ut nō pau-
lo facilius esse ducā uaticinari, quam talia finge-
re. Præterea cur hic tā multis sumi deprauati loci?
tam multi ex quibus nulla potest elici sentētia? tā
multi mutilati, perturbati, cōfusi: quæ omnia sunt
corrupti uetusitate libri argumenta. Cur etiam
quæ à Lactamio & Theophilo citantur, alicubi
aliter hic quam apud illos leguntur? Cur qui fin-
xit, non illinc sumpsit, quæ inde peti poteram? An
hoc fecit, ut nobis suum probaret mendacium?
Potest' ne mendacium probabilius esse, quam ue-
rum? O magna uis ueritatis. Potest' ne aliquid
esse in-

esse in ueris oraculis, quod non sit in his? Quod si
est, aut hæc uera esse fateamur: aut omnia quæ us-
quam sunt, scripta, in dubium uocemus. Quando
autem post Lactantium finge potuerunt? nam ante
Lactantium ficta nemo dicet, cum ea ille Rome
legerit, ubi admitti ficta nunquam potuissent. Fi-
cta sunt credo, per illa tam barbara secula, qui-
bus Græcæ linguæ clementia nouisse promiracu-
lo habebatur: cum ea, si finge potuissent, non nisi à
doctissimo potuissent. Quid igitur? An ficta sunt
paulo supra nostram ætatem? cum literæ in Italia
à Valla, Sipontino, Politiano, Pico, Gaza, &c ceter-
is excitatæ sunt? Cur non statim edebantur? cur
nunc demum prodierunt? Quid si planum facio
testibus fide dignis, uetus ta esse hæc? an dicent, te-
stes esse falsos? Sed refellant eos, si possunt: ego tamen
citabo. Volo enim ut intelligant homines, una
de nam hæc oracula prodierint, & ubi manuscri-
pta extant. Nam & ipse principiò hoc scire cupij,
& in non paucos incidi, qui eadem interrogarent.
Igitur cum super hac re scripsisset ad Xystum Be-
tuleum, qui apud Augustam Vindelicorum bo-
nas literas docet, cuiusq; opera peruenit Sibylle
Græcum exemplar ad Ioannem Oporinum, à quo
impressū est, rescripts ille mihi in hæc uerba. Quæ
ris ubi nactus sim exemplū. nactus sum in bibliothe-
ca nostra, inter libros nup à magistratu nostro Ve-

netijs

netijs à Græco quodam emptos. Archetypus (unde sedulò transcribi curauit) recens est: eleganter quidem, & splendide, sed (ut uides) parum orthographicè scriptus. nam contuli religiosè: nolui tamen quicquam in his temerè agere. Sed malui uel mendosum in lucem edere, & medicis submittere manibus, quam committere ut diutius lateat. Hæc ille. Præterea est Ferrariæ in Italia M. Antonius Antimachus, uir raræ doctrinæ, qui uetus habet exemplar: quod cum hoc, quod ab Oporino excusum est, contulit, & emendationem (nam multos locos ex collatione correxit) Oporino misit: qua ego in transferendo usus sum. Habet & aliud exemplar (sicuti nos ex amico quodam fidelissimo intelleximus) quidam nomine Ranconetus in Gallia: qui tibi, Maure Musæe, notus est: qui uellem imitaretur Antimachum, impressumq; exemplar cum suo conserret, & Oporino mitteret emendationem. Atq; hos ego testes fide dignos, ex tribus diversis terrarum regionib: produco, eosq; (ut spero) adhuc uiuentes: quos, si mentirer, mei mendacij testes adhibere neq; possem, neq; uellem. Et fortasse noluerint se nominari. Sed quemadmodū si litigarem eis testimonium denunciarem, quibus notares esset: ita hic eorum uti testimonio non dubitaui, præsertim in re non parua. Iam uero qui negant opus eis Sibyllinis, quoniam extem he-

b. braicas,

braica, ineptè faciunt. Quid enim tam absurdum
est, quàm, in philosophia, in grammaticis, in arte
dicendi, in poetica, nulla posse librorum multitudi-
ne satiari: in oraculis de Seruatore nostro, tam citò
nauseare? Ego uero & Balaami, & Sibyllarum, et
Iosephi de Christo testimonij nō mediocriter de-
lector: putoq; his non solum Christianos confirma-
ri, sed etiam externos allici posse, atq; conuinci,
tanquam productis ex ipsorum intimo penetrali
testibus. Hæc igitur oracula Sibyllæ (quæ sicuti
satis ostendimus, & sicut omnes æqui iudices faci-
lè confitebuntur, uera sunt) à nobis in Latinum ser-
monem conuersa, tibi optime Maure, dedicare ui-
sum est, cùm ob tuam singularem erga omnes pios
& literatos, & erga me benevolentiam, et libera-
litatem: tum quia hoc studiorum genus non solum
foues, sed tractas & ipse non infeliciter. Secutus
sum autem eam in uertendo rationem, ut senten-
tiæ nihil neq; adderem, neq; detraherem: adeò ut si
oratione soluta uertissim, magis sententiam expri-
mere uix potuerim. Meninoram enim, si uerbis lu-
dendum est, alibi ludere fas esse: in hoc quidem scri-
pti genere, ut sacro, religiose incedendū esse. Itaq;
malui alicubi durior esse, quàm uerbis longius es-
ferri. Sed scito, in hoc libro (sicut in tam ueteri,
totq; seculis ab dito fuit, accidere necesse) multos
esse locos corruptos, multos mutilos, multos con-
fusos

fusos & perturbatos, adeò ut in uertendo plerunque non haberem quod sequerer, uidererq; mihi uerè Sibyllæ folia tractare. Igitur quos potui locos emendaui: fuerunt autem non pauci, qui, cum iterum græcè edentur, Deo uolente, ostendentur. Quos autem corrigere non potui, hos si quo constabant uerborum ordine grammatico, penè ad uerbum uerti: ideoq; durius, ut libera sit in latino quoq; coniectura. Confusa & obscura, sicut erant, reliqui. In quibus autem neq; uerba neq; sententiæ constabant, ea aut oratione soluta reddidi ad uerbum: aut etiam græca reliqui, donec emendatius inueniatur exemplar: quemadmodum qui in nocte ambulant, suspendunt gressum, donec uiam exorta luce uideant. Ergo inter legendum cum ea occurrent, quæ non intelligentur: aut cum ea legentur, in quibus tibi à gallo ad asinum (ut habet Gallicum prouerbiū) salire uidearis, noli in me culam rei scere, qui interpres cum sim, ea reddo quæ scripta sunt, & quæ possunt intelligi: sed in uetus statem, quæ, iuuante barbarie, corrumpit omnia. Verūm fingito, ea sola quæ incorrupta sunt (quæ sane & plurima sunt, & optima) hic inesse: & his ea compēsato, quæ sunt uitiata: ita fiet, ut nihil habeas nisi integrū. Cæterūm de genere Sibyllæ (nā & hoc fortassis expectes) cognoscet ipse in ealegenda, & nos in Annotationibus non nihil dice-

mus. Scripsimus enim Annotationes, quibus non nullos locos aperiremus: quæ si videbuntur ieiuniores, & pauciores, memineris nos neq; ea quæ facilia sunt, debuisse: neq; ea quæ nō intelligimus, explicare potuisse. Interea boni consule hoc tuæ erga me beneficentia, & meæ erga te benevolentia monimentum: & hoc cœlestium Musarum studiū, ut ingenio & nomine tuo dignum est (Musæus enim uocaris) fovere & defendere persevera.

Vale. Basileæ, mense Maio: Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo sexto.